1012 . 3

Digitized by Google

1012
3

IN MORTE

MINIATI PYTHII ABBATIS MONTOLIVETANI,

PAGANI PAGANINII LICIANENSIS ELEGI PENÈ TVMVLTVARII.



Florentiæ. MDLXVII.

1012.3

HIPPOLYTO PATAVINO MONTOLIVETANORVM MONACHORVM maximo Præſuli.

VINCENTIVS PISTORIENSIS MONACHVS MONTOLIVETANVS S. P. D.

COMMODVM è vita deceſſerat MINIATVS Florẽtinus Abbas (vt appellamus) Montoliuetanus, quem iampridem æquè ac patrem colueram: quiq; me propè loco filii habebat: cum PAGANVM Paganinium obſecraui: vt vellet quædam de hoc optimo viro: mihiquè chariſsimo conſcribere: quæ eius præclarum nomen omnibus noſtræ ætatis hominibus commendarent; atq; etiam Poſteritati conſignarent. Tunc mihi reſpondit PAGANVS, ſe ſibi nequaquã tribuere tantum; nec eo eſſe ingenio: qui illud: quod petebam: poſſet præſtare: ſibi certè nõ deeſſe animũ quibuſcũq; rebus mihi gratiſsimum faciendi, aut potius gratificandi; non cõmiſſurum tamen, vt omninò fruſtra id viderer à ſe contendiſſe: cum mihi quoq; tunc affirmauit idem ſponte ſua fuiſſe facturum. Ecce mihi paucis poſt diebus dixit de MINIATO ſe quoſdam Elegos confeciſſe, illoſquè à BACIO Philoſopho; & medico celeberrimo: cui dederat legendos cum præpoſita iiſdem epiſtola: ſe non inuito: inſcio quidem: auguſto Florentinorum Principi oblatos. Illorum igitur ab illo petitum exemplum facilè impetraui, miſique ad STEPHANVM noſtri ordinis Monachũ; meiq; amantiſsimum: & MINIATI alumnum. Sed cum poſtea intellexerim à non paucis, eos Elegos perplacuiſſe; vulgo-

q ie ab omnibus literatis approbari; atque etiam à noſtris Monachis: in quorum manus peruenerint: magna cum volu ptate legi; & ab iis: qui eos non viderint: maximè exoptari: conſtitui Autore ad omnia alia cogitante: dare operam: vt typis calcographis excuſi proferantur: cum ſummè omnium cupiam: quantum in me eſt ſitum: MINIATI: quē etiam mortuum maximopere veneror: conſulere immortalitati: & noſtrorum Monachorum honeſtæ ſatisfacere cupiditati. Huiuſcemodi igitur verſus cum ſua epiſtola ſub tuo nomine in lucem venientes, tibique à me variis de cauſis dedicatos tu quæſo accipe: & lege: nec tantùm accipe: & lege: verùm iucundè accipe: & libenter lege. quæ te ſpero facturum cum amore, quo eum virum amabas; in cuius laudem hi ſunt conſcripti: cum tua ſingulari humanitate: & pari doctrina. quæ duæ virtutes, vt multæ aliæ; quæ in te egregiè collucent: te noſtræ toti religioni maximè conciliant: aut potius iandudum conciliarunt. Nec propterea ii à te vilio ri pretio æſtimabuntur, quòd eos antea legeris. nam tritiſſimū eſt illud, Bis; ter: quater que quod pulchrum eſt. atque hic quædam inuenies addita: & nonnulla immutata. ſed tandem vale noſtri ordinis firmiſsimum columen, & lumen ſplendidiſsimum.

Ex Montolieto Florentino. v. Cal Aprilis.

1567.

MAXX: COSMO, ET FRANCISCO MEDICIIS ALTERI DVCI; ALTERI Florentinorum Principi

PAGANVS PAGANINIVS S. P. D.

POſteaquã veni in Hetruriam, præcipuè poſteaquã receptus fui veſtram in fidem; & clientelam: nihil ſanè inſigne: quod ego ſciuerim: his veſtris in ciuitatibus beatis contigit: de quo aut poëtico: aut oratorio dicendi genere non aliquid ſcripſerim. cuius rei vos ambo eſtis optimi teſtes. nam vtrique, aut alterutri veſtrum dedi varia variis temporibus; vt res variæ illius modi tulerunt: à me conſcripta. Cum igitur in præſenti è vita exceſſerit MINIATVS Pythius Abbas Montoliuetanus, qui cum mihi recens; ſed ea: quæ loco veteris haberi poterat: amicitia intercedebat: deque illo more meo: atq; etiam rogatu cuiuſdam Monachi illius cupidiſsimi: conſcripſerim quoſdam Elegos: eorum exemplum vobis ambobus ſeparatim volui offerre: mihi planè perſuadens illos vobis penitus non fore ingratos: cum ſepè ex illo audiuerim ſuperioribus quat-

tuor menſibus: quibus continenter eo ſum vſus familiariſsimè: quantum vir ille omni profectò laudis genere dignus vos amaret: & coleret: cũ adderet modeſtè quidem: quæ illius erat natura: à vobis illi antea ſemper non parum fuiſſe tributum; quod ille mihi facilè perſuadebat, qui ſciam quantum vos ambo tales viros amare ſoleatis. Valete optimè, & feliciſsimè optimi; & feliciſsimi Principes. Et vobis quæſo id perſuaſum habete, & ſi illud ad vos tantos; & tam claros viros nihil: aut certè parum attinet: me etiãnum: vt antea ſemper fui: in vos ita eſſe benè animatum: vt qui eſt maximè. Iterum valete ò duo Thuſciæ: atq; adeò totius Italiæ clariſsima lumina. Ex Montoliueto ſuburbano Pridie Non. Nouem. MDLXVI.

IN MORTE MINIATI PYTHII FLORENTINI ABBATIS MONTOLIVETANI.

PAGANI Paganinii Licianenſis Elegi penè tumultuarii.

SI GENVS *antiquum,ſi regia forma; decore*
Si ſermo apprimè dulcis ab ore fluens:
Si doctrina bonæ naturæ plurima iuncta:
Si vis ingenij: quæ propè dia fuit:
Si nullæ mentis latebræ: nulliq́ receſſus
Omnia dicentis liberè: & ingenuè:
Si ſpectata diu in magnis prudentia rebus:
Multa conditus ſi grauitate lepos:
Si pietas Syncera: fides ſi cana: relatis
Pluraq́: quæ poſſem: ſi numerare velim.
Flectere crudelem mortem pater optime poſſent:
Extinctus nunc tu non MINIATE *fores.*

Hæc etenim egregiè, quæ dixi; cuncta nitebant
In te: Phœbæa vt lampade cuncta nitent.
Quæ quis non vidit; vel viſa negauit; hic expers
Prudentis mentis: conſilijq́ fuit.
Aut hunc inuidiæ tabeſcens virus edebat.
Quod vitium infelix pectora multa tenet.
Sed tu ſublime in cælum vir caſte relate,
Præmium vbi virtus; & benefacta ferunt:
Quod nos debentes CHRISTO *mirabile donum:*
Quod nobis noſtri capus amore dedit.
Sed tu ſignifierum in cælum vir clare relate
Vtq́ opto: vtq́ reor pro pietate tua:
E terris quæ tu numerabilas terreus olim:
Iſthic æthereus ſpiritus aſtra vides.
Et quæ ſint pluuiæq́ Hyades, geminiq́ Triones;
Et quæ quis Atlas nomen habere dedit:
Illis vicinus melius cognoſcis. & orbes
Quot ſint, & quanti; quem teneant q́ locum.
An taciti certum in ciclum voluantur: ijdem
Labentes dulcem conficiánt ne ſonum.
An ſua mens orbi priuatim cuiq́ tributa,
Maximus an cunctos ſpiritus vnus agat;
It qui per pontum: & terras: cælumq́ profundum:
Quæ vi ſecreta: & præualida intus alit.

Vt

Ut mediusq; dies idem ſtet ſemper, & Arctos;
Seu tardent anni tempora: ſiue ruant.
Ut non Occaſus lucis, non ortus ibidem;
Diuerſas cœli Sole tenente vias.
Ut nunc cogat equos in ſalſas ocyus vndas,
Cum leuat auricomum tardius inde caput.
Ut nunc Stelliferas conſcendat ſerius arces,
Cum celeres noctes, præcipitesq; ruunt.
Atq; isthic tibi fit multò manifeſtius illud,
Quodq; alij affirmant; quodq; alij eſſe negant:
Anne globi: errones de re quos dicimus: vt Mars:
Ut Sol: Saturnus: Mercuriusq; celer.
In genus humanum: & pecudum: genus inq; ferarum:
In pictas volucres: ſquammigerumq; gregem:
Ius habeant vllum: terrenaq; corpora cogant:
Cœleſtesq; animas hac fugere: illa ſequi.
Quod ſecus eſt, nam mens, cuius eſt cœleſtis origo:
De noſtra dico: qua ratione viget:
Libera dependet de ſe; & cogentibus vllis
Illam nil aſtris: omnia ſpontè facit.
Quorum quæ bona ſunt CHRISTI *conſperſa cruore,*
Nos Patrem ad æternum; lucida in aſtra vehunt.
Sed contra omninò à nobis pendentia, quæq;
Et videt; & damnat facta nefanda DEVS:

Ad loca nos ducunt. vbi certo tempore tandem
Nos his purgatos accipit aula poli.
Aut nos damnatos (miſeri quibus accidit illud)
Aeterno iuſſu: Iuſtitiaq; DEI,
Unde redire poteſt nullus ſub luminis oras;
Infernæ tenebræ: Tartaraq; alta tenent.
Quæ DEVS *immenſus, iuſtusq; parauit olympo*
Pulſis ſpiritibus: ſpirituumq; Duci.
Qui Dux ingratus nimium, nimiumq; ſuperbus
Magno affectauit ſe ſimilem eſſe DEO.
Atq; ſuam illius ſolium propè ponere ſedem.
Cuius nequitiæ præmia digna tulit.
Neſcius infelix donis cæleſtibus vti,
Illi quæ dederat maxima ſponte DEVS.
Spiritibusq; illis pariter quos diximus ante
Depulſos meritò è ſedibus æthereis.
Cumq; ſuo ſimul infando, immaniq; Tiranno
Pœnis addictos; perpetuisq; malis.
Sed ſi quid poſſunt planetæ, corpora tantùm
Terrena; & tantùm noxia membra grauant.
Corporibus quibus, & membris vis viuida mentis
Imperat; atq; iubet iuſſa ſubire volens.
Quæ te de cælo illato ſermone recordor
Ultima facundè diſſeruiſſe mihi.

Ut conſueuiſti rerum perquirere cauſas
Tu mecum, rebus de varijsq; loqui.
Et menſurabas quas terras, quasq; paludes;
Quos montes: & quæ flumina: quosq; lacus:
Omnia nunc iſtis ſpectas de ſedibus altis.
Et tibi, ſi qua prius cæca fuêre; patent.
Ac planè agnoſcis diſtantia quanta locorum eſt.
India quæ eoa eſt, India quæ Heſperia.
Quanta palus Iſter fluuio quam conficit vno.
It mare in Euxinum qui reliquis fluuijs.
Quantus Parnaſſus Baccho, Phœboq; dicatus;
Et quantus quondam velificatus Athos.
A quo quódq; mari flumen decurrat, in illud
Kurſus mutatis vtq; recurrat aquis.
Larius & quantus, quantus Benacus in aſtra
Fluctibus aſſurgens vt mare veliuolum.
Uerius, ac illud, multos quod torquet; & angit:
E libris orbem quis peragrare libet;
Atq; domi: & patrijs habitantes ſedibus: omnes
Terrarum exoptant noſcere mente ſitus:
Certius ac illud multò deprendis: an aptè
Nomina priſca nouis reddita nominibus.
Quod tu dum tentas victuris pandere chartis,
Et ſic mortales velle iuuare cupis;

Hoc imperfectum occaſu præuentus iniquo :
Atque immaturo funere linquis opus .
Sed qui te viuum ſtudiosè VITVS *amabat,*
Qui te etiam extinctum pectore; & ore colit :
Id proferre breui Tyrrhena per oppida Thuſcè
Conſcriptum: grato pectore verſat opus .
Quod facit: æterno vt memorandum tempore viuat
Sic etiam excellens nomen in orbe tuum .
In quo opera ille mea ſi vtetur , vt ille recepit
Vltrò ſe vſurum cum volet ,id facere ;
Ingenio quicquid valeo : curáque : fideq; :
Id famæ: laudiq; omne valebo tuæ .
Quanuis ipſe ſciam tua ſcripta volumina doctè ,
Indiga nil ſtudij ; nil opis eſſe meæ .
Quod varijs etiam clepſydris mobile tempus
Partiri noras more nouo: arte noua,
Dum magneta acui paruo præfigis in orbe
Arctos ſpectantem ſemper: & alta Poli .
Atq; ſtylum ex ferro ſtatuis ,qui temporis horas
Solis ad aduerſi lumina clara notat ;
Ille ſtylus curuo in ciclo directus: ad vmbram
Cuius diuerſam tempora certa vides :
Quæ varia oſtendit: productáq; linea multa
Obliquè: ac numeris quæq; notata ſuis :

 His

His quod ſignabas inuentis mobile tempus,
Inuenta antiquos quæ latuêre viros;
Iſthic eſſe vides æternum: & ſtare: manensq́;
Inſtabiles rerum non variare vices.
Non veniente nouo detrudi frigora vere,
Nimboſum Autumnum haud tempora ſicca ſequi;
Nullum præteritum dici: nullumq́; futurum:
Hæc ſimul hoc tempus tempora habere duo.
Quemq́; DEVM *es toto veneratus pectore ſemper,*
Terreno dum tu carcere clauſus eras;
Vitam degebas dum tu cœleſtibus æquam:
Ridens quæ vulgus vana ſtupere ſolet:
Dum magnus contemptor opum: contemptor honorum:
Contentus poteras viuere ſorte tua:
Nunc iſthic illo fruere: eſt quæ immenſa voluptas:
Illis commixtus qui ſupera alta tenent.
Pars quorum innumera in cœtus diuiſa nouenos
Nullum corporeum viuida ſentit onus.
Ordine quæ triplici reliquis excelſior vnum
Cognoſcit melius numina trina DEVM.
Et Maieſtati diuinæ aſſiſtit, & illam
Aeterno obſeruat tempore; & obſequio:
Quæ diuerſa etiam ſortita eſt nomina magnis
Apta ſuis rebus; muneribusq́; ſuis.

Pars quondam in terris viuens pureq́;pièque
Pura Dei aſcendit munere templa poli.
In quibus apparet reliquis illuſtrior vna
Virgo MARIA DEI *filia: ſponſa: parens:*
Lucifer vt fulgens aurora præuius albæ:
Aut Sol cum occiduo littore tingit equos.
Et nunc ſecurus morborum, ferre moleſtos
Quos hominum crebrò vita caduca ſolet;
In ſpeculo illuſtri defigis lumina: verus
Qui DEVS *eſt: in quo cuncta creata vides.*
In quo etiam cernis, te quantum EGNATIVS *olim*
Dilexit veræ religionis amans;
Clarus & ingenij præſtantis lumine: doctus
Pingere: & inſignis Pallados ob ſtudia.
In quo etiam ſpeculo potis es ſpectare, tuorum
Morum, & doctrinæ quod ſtudioſus eram:
Atq; tuo letho quod ſum perculſus: editáq́;
Quod deſiderium cor mihi triſte tui.
Quod diuinaui, cum primùm membra catarrus
Nunc tua corripuit craſſa; & anhela febris.
Iſto te morbo moriturum, luce quod ipſa
Prædixi; morbi quæ tibi prima fuit.
Hoc portendebant manifeſtò ſigna ſalutis
Certa quidem quæ ſunt, certaq́; ſigna necis.
Hoc

Hoc etiam inde timens, tua mors aduerſa cadebat
Quod mihi: quod multum rebus iniqua meis.
Cum mea dicebam feret id fortuna, maligna
Quæ tam me miſerum verſat; agitq́ diu.
Quam contemno tamen conſtanti pectore facti
Nullius turpis conſcius ipſe mihi.
Quod factum eſt. nam nos miſeri quæ aduerſa timemus,
Hæc crebrò veniunt vberiore modo.
Sed nos quæ nobis felicia fingimus, illa
Semper; vt eſt illud cernere vana cadunt.
Actum igitur tecum eſt præclarè. nanq́ beatus
Factus es, & volitas magna per ora virûm;
Imprimis COSMI: & FRANCISCI: *magna potentes*
Qui iuſtè: ac Sanctè Lydia ſceptra gerunt.
Quos vt mæſta tuum vulgauit fama per orbem
Interitum, grauiter condoluiſſe ferunt;
Et longo de te facto ſermone: tuliſſe
Et laudem: & famam: & nomen in aſtra tuum.
Quod fecit pariter diuina ISABELLA: *parente*
Filia digna: ſoror fratre: marita viro.
At rumpit queſtus imo de pectore triſtis
Triſti cum Flora Thuſcia tota gemens.
Vtraq́ ſciſſa comas, & pugnis pectora tundens;
Vnguibus & fœdans: dilaniansq́ genas:

Res hominum queritur vanas: fallacia cuncta:
Et nihil hîc firmum: perpetuumq́ nihil.
Amiſiſſe virum deflet, cui ſecula nulla
Priſca tulère parem; nulla futura ferent.
Nam quis, quis poſſet numero comprendere tanta
Corporis; atq; animi: totq́ decora tui?
Eſt hominum nullus qui te non lugeat Arni
Qui flaui colles, æqua vel arua colunt.
Imprimis deflet celebris tua funera pictor,
In ſe dinumerans innumera offitia;
Quæ præſtas illi; Thuſcis, dum Regibus illum
Concilias Nato: conciliasq́ Patri:
Et laudem illius naſcentem extollis: & illum
Educis merſum fluctibus inuidiæ.
Atq; tuus lacrimas profundit candidus ordo,
Cuius eras omni tempore magnus honos;
Et quem conſilijs ſemper: factisq́ iuuabas.
Heu quam iacturam te moriente facit?
Cumq́ tui Monachi doleantq́; gemantq́; fleantq́
Omnes perculſi morte tua grauiter:
Tum dolet: atq; gemit imprimis: fletq́ vetuſto
Prudens LIGNANVS *iunctus amore tibi.*
Et qui ſupremo vos inter functus honore,
Inde decus magnum; perpetuumq́ tulit.

Et

Et nunc HIPPOLYTVS *Patauinus doctus, & idem*
Vir bonus; & vera nobilitate nitens:
Et veſtrum præſul cœtum qui maximus omnem
Tanta iuſtitia: & relligione regit:
Veſtro pro ingenii: veſtro pro mutuo amore
Iiſdem coniuncto moribus: & ſtudijs:
Lamentis nequit: & lacrimis imponere finem:
Dulceq; te rapto nil gemit eſſe ſibi.
Et CONSTANTINVS *Maſſenſis, doctus; & ille*
Syncera fidei: & ſimplicitatis amans:
Simplicitatis amans: virtus quæ maxima: ſi non
E falſo: & vano pectore ficta venit:
In tanto luctu non ceſſat, corda dolore
Fletu oculos plenus publica damna gemit.
Illi, illi miſero in luctu; tenebriſq; relicti:
Tu quibus vnus eras lumen: & omne decus.
Quo, quando, æterna vi ſancitum eſt lege; caremus:
Iniecitq; tibi mors violenta manus:
Qui nos iuuiſti quondam; dum vita manebat:
Ne nobis etiam hoc tempore deeſſe velis.
De te quod certè Diue ò Benedicte tenemus,
Credere noſq; illud credimus eſſe pium.
De te qui Princeps Monachorum, Autorq; fuiſti;
Et cuius mores: ſanctaq; vita fuit.

Quarum tu rerum nunc præmia percipis alta
Diuis cum reliquis aurea qui aſtra tenent.
Ergo quod veſtrum eſt, Romana Eccleſia tota
Quod docet; ac verè quod docet: atq; piè:
Pro genere humano, Thuſca pro gente precando
Tu nobis placa; conciliaq; DEVM.
Pellat vt à nobis ſexcentum incommoda, nec non
Quæ nos circunſtant; mille pericla fuget.
Et nos à vitijs ſeruet, noxisq; nefandis;
Quæ vitia: & noxæ: membra: animamq; necant.
Et conſoletur gemitus, magnumq; dolorem;
Nunc tua quem nobis mors inopina tulit.
Quod facies, ſi nos tu viuus ſemper amaſti;
Siq; omnes fuimus maxima cura tui.
Id tu curabis, ſi vos poſt funera mentes
Cœleſtes quicquam triſtia noſtra mouent.
Illum etiam exora, vt cum frigida membra relinquens
Noſtra animæ ardentes, liberæ in aſtra volent.
Atq; reuertantur liquidi ſub culmen olympi,
Aegri mortales ducimus vnde genus.
Semper vbi tecum, & reliquis cum Heroibus vnà
Percipiant ſummum; perpetuumq; bonum.
Haq; Patrem, & natum iſthic contemplentur; & illum
Qui Patris: & Nati è mutuo amore venit.

Qui tres non Dÿ ſunt, verùm DEVS *vnus, & ille*
Qui mare: qui terras: qui infera: qui alta regit.
Nunc ad te tandem Pater ò MINIATE *reuertor,*
Multis & dictis addere pauca iuuat.
Si fas, ſi iuſtum eſt; peto ſi conceſſa, nec illud
Omnipotens fieri denegat ipſe DEVS:
Pura aliquando poli ex iſta regione: dolentes
Nos omnes anima ò candida viſe tuos.
Quod fac ipſe modis, quibus id conceditur; ipſe
Qui noſtras curas; mœſtitiamq́; vides.
Et muto cineri quæ ſoluimus vltima dona,
O ſint grata tibi; & manibus illa tuis.
Præcipuè hi verſus monumentum: & pignus amoris
Quos noſtri exopto à Poſteritate legi.
Præ gemitu, & lácrimis nequeo conſcribere plura.
O ſalue æternùm, ò dulcis amice vale.

Tumulus eiuſdem MINIA-
TI Abbatis.

De tumulo, ſitus eſt in quo MINIATVS; *ad auras*
Se tollit viridis laurus: & albus olor.
Eſt ita. planta virens ſemper, volucrisq́; canora
Diuini ſiunt membra ſepulta ſenis.
Nec ſine conſilio, & Diuorum numine; noſtris
Qui factis largè præmia digna ferunt.

Hic vir in hanc plantam, & volucrem nũc vertitur aptè;
Qui Phœbo: & Muſis deditus ante fuit.

Alius tumulus eiuſdem MI-
NIATI Abbatis.

Pythius hic ſitus eſt MINIATVS, *dicere nomen,*
Dietre cognomen ſatq; ſuperq; fuit.
Alterutrum teſtatur enim, teſtatur vtrunq;
Auditum; clarum nunc cecidiſſe virum.
Si cecidiſſe tamen dices, qui nomine viuet
Aeterno; & cuius ſpiritus aſtra tenet.

In eiuſdem imaginem fictam è vi-
uo eius vultu.

Si pars interior potuiſſet vera referri;
Vt pars exterior vera relata fuit;
Extinctum haud poſſes MINIATVM *dicere; nanq;*
Viueret interius, viuit vt exterius.

In eandem eiuſdem ima-
ginem.

Alter amicorum diuinam carmine mentem,
In tabulis alter terrea membra refert;
Tu viues igitur ſemper MINIATE, *Poeſis*
Quem pingit talem muta; loquensq; canit.

In eandem eiuſdem ima-
ginem.

Si mentem, vt vultum potuiſſet fingere pictor;
Mortuus ò poſſes ò MINIATE *loqui.*

In eiuſdē imaginem in orbe humiliter eductam.

Si manus humana vt retulit mortale, referret
Immortale quod eſt ſic DEVS *omnipotens;*
Hoc orbe in paruo fictus MINIATVS: *in ipſo*
Hoc orbe haud fictus: verus at ille foret.
Hoc collum, hoc pectus; hanc aurem: hoc occipit; hocq;
Sinciput: hanc faciemq; hos oculosq; tulit.
O' noſtri ingenij vis eſt quàm ſedula. penè
Quæ natura parit reddere cuncta poteſt.

In eandem imaginem eodem in orbe incluſam.

Orbis hic exiguus MINIATVM *continet, orbem*
Immenſum; illius nomen: honosq; replet.

Eidem HIPPOLYTO maximo Præſuli
Idem VINCENTIVS Monachus S.P.D.

Cum fortè vacet hîc extremum hoc folium, libuit mihi addere duo noua epigrãmata eiuſdem Pagani; alterum ab eo factum rogatu VITI Florentini Abbatis ſuffecti in MINIATI mortui locum: & miſſum ad auguſtum Florentinorum Principem; alterum, quod in aduerſo templi noſtri pariete affiximus x. cal. April. quo die de more noſtro, & è Chriſtiano ritu celebrauimus proxima Palmaria: tanta quidem populi frequentia: quantam uix poſſes cogitatione comprehẽdere. maiorem non recordantur noſtri temporis homines. hæc illa ſunt duo epigrammata.

Ad potentiſsimum Florentinorum Principem
VITVS Abbas Montoliuetanus.

Plantari hæc curans noſtris in collibus, omnis
Culmina qui FLORAE *deſuper alta vident;*
Hæc illic curans autumni tempore poni:
Principis hæc dixi tempore veris erunt.
Hanc igitur corbem, fulget quæ cincta orichalco;
Quæ myrto tecta: & vimine texta viret:
Corbem lactucis plenam: violisq́; tepore
Vix quas hora ſuo verna fouere ſolet:
Accipe læto animo Princeps *ò maxime:* VITVS
Offert quæ Monachus munera parua tibi.
Hæc autem brumam, & borealia frigora vincens
Ante diem preßit nominis, aura tui.
O te igitur qualem, quantumq́; Heroa *vocabo;*
Si tu Naturæ vertere iura potes?

Ad Mortales Monachi
Montoliuetani.

Dona triumphalem palmam fert ignea virtus,
Eſt pacis ſignum ſemper oliua virens.
Hoc in monte duo hæc ſacra, & creſcentia; quiſque;
Hac luce accipere: & quiſque referre poteſt.
Hæc ſed in hoc monte & ſacra, & creſcentia; dignè
Atque ille accipere: atq; ille referre poteſt:

Qui prius affectus omnes compreſſerit: omne
Qui dictum: & factum penderit ante ſuum:
Et qui hoc PONTIFICVM *obſeruans diploma potentum*
Ritè ſui labem lauerit omnem animi.
Ergò mortales ne ſpernite præmia, uobis
Offert quæ gratis Maximus ipſe DEVS.
Nec differte diem. puerosq; virosq; ſenesq;
Non expectatæ decipit hora necis.

ME MEA,
TE TUA.

FINIS.

Viſum & approbatum per Reuerē. Inquiſitorem, fratrem Sebaſtianum de Puppio.

99 955796